

96  
18  
Divina affulgente gratia

DISSERTATIO HISTORICO POLITICA,

Exhibens

FATA  
LIBERTATIS  
ROMANÆ

Cujus

PARTEM PRIOREM

*Ex suffragio Ampl. Facult. Phil. in Regia ad  
Auram Academia,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Eloquent. Professore Reg. & Ord.  
Fac. Phil. h. t. Decano,

*Publico bonorum examini submittit*

PETRUS RINGH

*Wegsion. Smoland.*

Ad diem 13. Decemb. An. MDCCXL.  
loco horisque consuetis.

---

ABOÆ, excud. Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typ.

*Garr. Sægtur. Pipping*

Sæ R:æ M:is  
Magnæ Fidei VIRO  
REFERENDISSIMO PATRI ac DOMINO

D<sup>N</sup>. GUSTAVO AD.  
HUMBLE,

S. S. Theologiæ DOCTORI Consummatissimo,  
Diœceseos Wegf. EPISCOPO Eminentissimo, Con-  
sistorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, Regi Gy-  
mnasii Scholarumque EPHORO vigilantissimo,  
MÆCENATI MAXIMO.

*AD limina Tua Reverendissime Præsul qua decet &  
Animi devotione accedere nulli dubitamus. Sædet nam-  
que mos dudum receptus, quo sub umbone Mæcenatum spe-  
cimina publica emittuntur. Allicit gratia, quam in sedulos  
literarum cultores nullo non tempore dispensare soles. Obli-  
gat favor quem ante biennium experiri datum est, quando  
me egenum & querulum stipendio sublevasti territoriali. Pa-  
tere itaque Reverendissime Pater, ut quemadmodum hæc ce-  
spella ex nomine Tuo fœneratur lucem, ita etiam ceu gra-  
tissimi animi qualiscunque interpretes accipiatur. Præstet sum-  
mum Numen senectam Tuam, Mæcenas indulgentissime, per  
multos posthac annos vegetam, omnique felicitatis genere bea-  
tam, in Ecclesie commodum; Nobilissime Familiae solatium,  
Clientumque Tuorum refugium desideratissimum exoptatissimum.*

*Sic vovet qui ad cineres erit.*

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

*Cultor devotissimus*  
PETRUS RINGH.

Maxime Rev. atque Amplissimo VIRO,

D<sup>N</sup>. O L A V O  
OSANDRO,

S. S. Theolog. DOCTORI celeberrimo, dice-  
ceseos Wegf. Archi-PRÆPOSITO dignissimo, Max.  
ven. Consistorii Pro PRÆSIDI æquissimo,  
MÆCENATI BENIGNISSIMO.

**F**ata libertatis Romanæ Tibi, Patrone optime, sacratis-  
sime literis curisq; intento offerre sustinea, fama honoris,  
quo optimarum artium studiis addictos amplecteris, invi-  
tatus. Adspicias itaque humillimus contendo fronte ut soles  
serena quod offero munusculum, measque fortunas ut ante  
ita & in posterum Tibi habeas commendatas. Obsequio, &  
sinceris pro Tua Nobilissimaque Familie perenni felicitate,  
votu atque sollicitationibus nemini ero secundus!

Maxime Reverendi Nominis TUI

Cultor humillimus  
PET. RINGH,

*Admodum Reverendi atque Praclarissimi Domini*

**MAGISTRI,**

**in Rêgio Gymnasio Wegf. S. Theol. & Philof. Le-  
ctores dexterrimi, Collegii Ecclel. Adseffores  
Prudentissimi,  
Patroni & Promotores propensissimi.**

**V**obis Promotores exoptatissimi, qui non modo sedula  
institutionis, sed & paterni sane adfectus tot ac tan-  
ta in me exstare voluistis documenta, Vobis, inquam hic  
Ingenioli nostri fructus merito debetur, quem benigne ad-  
spiciatis vehementer rogo.

**Admod. Rev. & Præcl. Viri Pat. atque Promotores**

*Ad observantiam paratissimus*

**PETRUS RINGH.**



Rådsmannen i Wegsö /  
Högwälsachtade och Wällagfarne  
Herr MANG LIND /

Samt  
Ährebörne och Högwälsachtade Handelsmänarne  
I Libo /

Herr HANS HINDRICH WITTFOTH,  
Herr NICOLAUS PIPPING, och  
Herr DANIEL ASCHELF i Wegsö /

Gunstige Synnare.

**S**är frihet lyser i wårt MANGHEIMS grän-  
ser wida/  
Allt orättmätigt wäld och twång är Landsför-  
wist ;

När Kong och Ständer jämt för allmän wälfärd strida/  
Grundlagar stå i flor / som hindra skadlig twist.

Då är den guldne tid / en då den andra mahnar  
Med flit at forska ut sund Frihets inre art /  
Man in- och utom Lands sig wägen öpen bahnar /  
Doch har sin ro i alt / som wisar hennes fart ;

Ly har jag fram för mångt mit största nöje skattat /  
Att med min slöga stå'r affskidra kortelig k.  
De marga öden / som Roms frihet i sig fattat  
Els den med tiden sels i trældom bytte sig.

Herr

Herr Råd = och Handelsmän min' Gynnare priswårde/  
Upta'n med wanlig gunst de pappersbladen så /  
Som af ett tackfamt sinn nu blifwa Ehr förårde /  
För godhet som jag rönt / och önsken med mig så:

Gud låt i Swea Land utöfwer våra tanckar  
Så länge Stånd är til och Kongars Spjror stå  
Wår ädla Frihet bo / och fästa fästa anckar /  
Som hwarcken tidens årg ell' öden rubba må!


Så skal för Edert wål jag aldrig nånsin swara /  
At hålla troget an hos himla Drotten stor /  
Det all Ehr wåret och wårdf må lyftekosan fara  
Til des I hamnen self uti de sällas Chor!

Minne Gunstige Gynnare

Edert

Högstförbundne  
tjenare

PETR. RINGH.



PROOEMIUM.

**Q**uemadmodum imperium Romanum a tenui admodum origine amplissimum juxta ac potentissimum est factum fortitudine bellica & prudentia civili; ita etiam Historia Romana, tam illustria utriusque hujus virtutis continens exempla, tantamque caluum varietatem proponens, jure utique æstimatur dignissima, quæ intensiori studio pervolvatur cognoscaturque accuratius. Inter cætera vero quæ in spatiosissimo hocce campo obveniunt, imprimis nobis placuit libertatis Romanæ consideratio. Hujus enim impugnatio & assertio tantum non omnes excitavit motus, quibus imperium sæpe admodum concutiebatur, & nonnunquam in extremum adducebatur periculum.

§. I.

**N**E autem cogitationes nostras lubrico prorsus superstruamus fundamento, paucis in antecessum indicandum est, quid libertas republicæ sit, & quando vigeat vel non? Ut igitur hæc puta libertas in republica obtineat, primario requiritur, ut *Majestas Imperantis certis sit circum-*

△

*scri-*



*scripta limitibus.* Nam sicut ille, qui imperio gaudet despotico beneplacita sua populo utut invito pro legibus obtrudere potest; ita si sub ejusmodi imperii statu libertatem quæras; oleum & operam perdis. Jura proinde majestatis ita erunt comparata, ut nec veteres leges exauctorare, nec novas ferre, nec tributa & onera sibi subjectis absque consensu civium injungere valeat imperans; quum hæc & hujusmodi alia imperium designent despoticum, & e diametro libertati publicæ opposita sint. Et huc tendunt leges fundamentales, quarum ad observantiam Imperans, antequam accepta accipit imperii, se jurejurando adstringit. Patet igitur ex hisce, quod in imperio limitato penes populum sit jus, quæ e re sint civitatis examinandi, & circa illa, quæ in deliberationem veniunt, consensum vel dissensum declarandi; atque hoc libertatis nomine venit. Hisce fundamenti loco positis rem ipsam adgrediemur. Te interim B. L. qua decet reverentia & humanitate rogamus, velis ea, quæ aliis negotiis mancipatus hac de re prolaturus sum, in meliorem interpretari partem.

§: II.

**I**mperandi & parendi modum sub Regibus in Italia ante urb. condit. eo excusatius prætermittimus, quo certius constat Romam a Romulo ortum & nomen traxisse, eundemque primum Romanorum Regem existisse. Non desunt, qui existiment; Romulum absoluta instructum fuisse impe-



randi potestate, verum tutius ei asserimus imperium limitatum. Atque pro hac sententia sequentes rationes pugnant. Immo per electionem potitus est regno, quia de re Nieupoort, Dionysii Halicarnassensis testimonio fufaltus ita scribit: (a) Urbe ita condita, quum Romulus de forma regiminis ad populum retulisset, communi omnium consensu regnum ei est delatum, captisque prius rite auspiciis Rex fuit renuntiatus. Quando vero Rex eligitur, de modo futuri regiminis quaedam determinari solent, adeoque cum regno electivo communiter conjuncta est Imperii limitatio. Illo Quum probe perspiceret Romulus libero populo imperium regium maxime fore invidiosum, nisi id ita temperaret, ut ea, quae ad securitatem & utilitatem spectabant publicam, cum populo communicarentur; proinde initio statim imperii centum eligi curavit senatores, (b) quos, commune totius civitatis appellavit consilium (c) atque his, victis & mox foedere sociatis Sabinis, alios centum adjecit, horumque opera & consilio circa necessitates reipublicae administrandas usus est. Sed quum ne sic quidem populo satisfactum crederet, Illicio comitia illa omnium antiquissima curiata instituit, quibus populus legitime convocatus de rebus quibuscunque publicis suffragia ferret.

A 2

Quid

- (a) videatur pag. auctoris 4.
- (b) vid. eund. pag. 11.
- (c) vid. Liv. in folio editus p. 14.

4  
Quid quod collegam imperii Tatium assumeret, utriusque populo sua jura facta tecta que relinquens. (d) Quæ omnia clarissime demonstrant, ex prima urbis origine libertatem possedisse Romanos. Et proinde nimia severitas, quam ad finem vitæ adhibuit Romulus, quum sæpe inconsulto senatu res maximas ipse obiret, mortis ejus causa fuit, prout inter alios recte omnino statuit Plutarchus. Interregnum post obitum illius ortum hoc idem confirmat. Nam quod per totum annum hocce duraverit, ideo potissimum factum credimus, ut senatus caveret, ne nimia præcipitancia respublica in manus veniret Imperantis, qui iusto durius populum tractaret, atque ut vulgus, libertatis dulcedine denuo degustata, sui juris redderetur tenacissimum. Nec res caruit successu. Nam anno transacto, ad pristinum libertatis statum rediisse rempublicam historia docet. Numa etenim apud Sabinos degens, sed ob vitæ probitatem moresque plane regio Romanis notissimus, auctoribus patribus, jussuque populi Rex libere eligitur. (e) Et tantum abfuit, ut libertati infidiaretur publicæ, mutæ fidei atque justitiæ instaurator ille incitatus, ut potius suo palam edocuerit exemplo, rempublicam optime administrari, ubi caput & membra ærtissimo amoris vinculo sunt juncta. Imperio enim admotus, Celeres, in corporis custodiam a Romulo assumptos penitus dimisit. (n)

Mox

(d) Plut. *ibid.*

(e) (Lipius pag. 26. (n) Plut. in *vita Numa*)

Mox dies comitiales, quibus cum populo ageretur, certos statuit (9) omniaque & singula ita disposuit, ut iusta ubique populo affereretur libertas. De Tull. Hostilio hoc unicum observasse sufficiat, quod is iudicium de capite civis Romani ad populum transtulerit, quod ex tota historia Horatii, qui, victis Curiatis, sororem sponsum lugentem, propria interemit manu, clare colligitur. (1) Et quum libertatem publicam a nemine trium subsequentiū Regum tentatam legamus; ad ultimū L. Tarq. superbum, qui ab antecessoribus prorsus degeneravit pedem promovemus. Et ut reliqui libere fuerunt electi; ita hic perverse imperium invasit, manus suas sanguine antecessoris S. Tullii turpissime fœdans. Hinc quum a semetipso contra se exemplum capi posse videbat; nihil eorum intermisit, quæ ad stabiliendum imperium pertinere videbantur. Proinde ad corporis custodiam satellites armatos adscivit. Mox morem senatum consulendi solvit penitus. Hinc cognitiones, iudicia & omnia, quæ terrorem sibi subjectis incuterent, ad se rapuit. Tandem bellum, pacem, fœdera & societates ipse fecit atque diremit. (\*) Quæ omnia luculentissime evincunt, tyrannidem potius quam imperium legitimum ipsum exercuisse, donec Romani jugi prorsus pertæsi, accedente scelere filii in Lucretiam commisso, quod plebem maxime irritavit, ipsum cum tota familia urbe expulerunt.

(9) Livius pag. 35.

(1) Idem in p. 40. & sequentibus.

(\*) Livius p. 84. & seq.



**T**arquinio exterminato id primum & præcipue curæ fuit Romanis, ut quæ pene amissa fuerat libertas revocaretur, & contra quaslibet insidias vel insultus in tuto poneretur. Hinc est quod imperium non uni sed duobus postea commiserunt, ne scilicet unus nimia suffultus auctoritate & potentia Rempublicam denuo servitute opprimeret, sed potius ab altero, qui pari gaudebat potestate, in officio contineretur. Hinc etiam est, quod novum hunc magistratum *Consules* vocarunt, eosdem velut admonitari, ut sicut Consul a consulendo dicitur, ita & illi in officio nihil agerent sine consensu senatus & populi. Huc pariter spectavit, quod consularem potestatem non retinerent ultra annum, quæ transacto ad sortem privatam redibant. Populus quoque jurejurando adstringebatur, ne quemquam posthac Romæ regnare pateretur. Et qui sub Tarquinio ad paucitatem redactus fuerat senatus, prioribus ex ordine equestri sub lectis, ad numerum trecentorum explebatur. Mox Tarquinius Collatinus Bruti in expellendo Rege Tarquinio socius, & in consulatu collega ob solum Tarquinii nomen ominosum & (uti visum est) periculi plenum, urgente Bruto, urbe excedere cogebatur. Atque ut illustri aliquo exemplo consecraretur libertas postliminio redux, Brutus rara severitate animadverti voluit in proprios filios, qui Regem imperiumque despoticum restituere conabantur.\* Ad cætera liberta-

(\*) Videatur Livius initio libri secundi.



bertatis firmamenta cumuli instar accessit facilitas  
 Valerii Publicolæ, qui securibus a baculis sejun-  
 ctis populo falces submisit in concionem procedens.  
 Mox legem de libera provocatione a Consulibus ad  
 populum sponte sancivit. Hinc iudicium capitale  
 de eo, qui injussu populi imperium adiret, con-  
 stituit. Tandem præter alia hoc etiam adjecit, ut  
 cuivis liceret tyrannidem appetenti violentas in-  
 ferre manus \*

#### §. IV.

**E**Xposita sic breviter nova reipublicæ institutione,  
 antequam ulterius progredimur, senatus, po-  
 puli, magistratuumque jura breviter exponemus.  
 Sic ubi constiterit, qua varios apud ordines varias-  
 que personas indole & quantitate resederit libertas,  
 variaz ejus mutationes eo melius patefcent. Et  
 quod senatum attinet, hic magna eminebat digni-  
 tate, adeo ut Cynæus Roma redux Pyrrho Regi  
 suo dixerit *Senatum Romanum confessum Regum sibi vi-  
 sum fuisse.* (\*\* ) Dionysius Halicarnassensis in ge-  
 nere jura ejusdem traditurus scribit, legem semper  
 ab urb. Cond. fuisse Romæ, ut Respublica omnis  
 in potestate esset senatus, præter magistratuum  
 creationem, legum Lationem belli pacisque arbitri-  
 um (\*\*\*) sed quum hæc descriptio nimis genera-  
 lis nobis videatur, illustrationis ergo Polybium ad-  
 dere juvabit. Primum quod apud eum occurrit  
 senatus jus hoc est, quod ærarii potestatem habu-  
 erit.

(\*) *Plut. in vit. Publicolæ.*

(\*\*) *Plutarchus in Pyrrho.* (\*\*\*) *libr. 6.*

erit. Verba' ejus sic jacent : *Deinde Senatus primum  
 Patrii potestatem habet. Etenim in ipsius arbitrio sunt &  
 reditus & sumtus & que sequuntur* (\*) Quantum ve-  
 ro momenti habuerit hoc jus ad refranandam ma-  
 gistratum variorum licentiam, libertatemque pu-  
 blicam conservandam, inde æstimari potest, quod  
 sine pecunia rerum gerendarum nervo negotia  
 bellica & civilia administrari nequeant, & exem-  
 plis in sequentibus proferendis insuper eluceſcet.  
 Secundo loco ponimus jus, quo Patres rerum in  
 comitiis gerendarum auctores fiebant, h. e. decer-  
 nebant, quid ad populum referendum esset. Sic  
 vidimus quod Numa jussu populi auctoribusque Pa-  
 tribus Rex renunciatus fuerit. Imo eo usque hoc  
 jus extensum videmus, ut etiam post habita comitia  
*auctores fierent Patres*, hoc est ea, quæ populus suis suf-  
 fragiis jussisset, confirmarent, prout expresse testatur  
 Rosinus (\*\*) Successu vero temporis ita fuit limi-  
 tatum, ut in incertum tantum comitorum even-  
 tum auctores fierent Patres. (\*\*\*) Tertium ejus-  
 dem jus referente Polybio fuit, quo in flagitia quæ-  
 vis, utpote prodicionis conjurationis &c. animadver-  
 tere licuit. Sed non immerito existimamus hunc  
 Polybii locum ita esse limitandum, ut jus quod  
 heic adſcribitur ſenatui, iudicibus qui tunc tem-  
 poris a ſenatu eligebantur competeret, prout rite  
 observat Rosinus Ciceronis testimonio ſuffultus  
 (\*\*\*\*) Nam, quod aut Quæſitores aut populus  
 ejus

(\*) Polyb. lib. V. p. 523. (\*\*) V. p. 473. (\*\*\*) Livius  
 lib. 2. p. 383. (\*\*\*\*) Orat. in Vatim. & pro dæmo sua.

ejusmodi crimina dijudicaverint, facile foret probatu, nisi prolixitatem evitare vellemus. Sed dabitur etiam de his infra dicendi locus. Quarto honorum quorundam publicorum distributio ad senatum pertinebat. Omnes enim triumphus & ovationes pecuniæque illis impendendæ victori magistratui domum redeunti a senatu decernebantur ordinariæ. Et vel hoc declarat, quæ observantia Magistratus Romani senatum prosequi necesse habuerint, quum penes illum esset gloria eorum vel amplificare vel etiam obscurare. Præter hæc de legatis mittendis a senatu quoque provisum invenimus; sicut & quæ ratione legati aliunde advenientes excipiendi essent, quidque ferrent responsi. Quid? quod eo gauderet jure sanctissimum hocce concilium, ut quivis senator, quum ordo dicendæ sententiæ ad eum veniret, præter id, quod a Consule vel alio Magistratu relatum erat, etiam aliud quoddam negotium, ut e re publica esse videbatur consultationi submittere posset, quod proprio verbo *consensere* dicebatur. (\*\*\*) Et hæc adduxisse pro instituto nostro iufficiat.

§. V.

**P**Edem promovemus ad jura populi consideranda, in quibus primo loco statuimus jus creandi Magistratus. Sub Regibus quoque a populo creabantur Magistratus, referente Dionys. Halicarn.

B

Libr.

(\*) *Oratione in Vatini. & pro domo sua Polibius l. 6.*

(\*\*) *Gellius libr. IV.*



Libr. 4. Post Reges vero ejectos populum id juris habuisse tantum non infinitis auctorum testimoniis patet. Quid? quod non modo comitiis centuriatis Magistratus majores libere elegerit populus Romanus, sed etiam postea in comitiis curiatis eos confirmaverit, dato insuper imperio, sine quo nemo exercitui præesse potuit. Atque ex hoc jure ratio est repetenda, cur qui ad honores emergere voluerunt, tantum susceperint laboris, tot artes adhibuerint, tantosque fecerint sumtus, ut sibi favorem populi compararent; quod etiam spectabant, qui tantopere elaborarunt, ut præ cæteris populares viderentur. Secundum populi jus versabatur circa leges publicas, quæ omnes a populo in comitiis erant confirmandæ. At quicumque justa rationis trutina pensitaverit, nullam obligationem civilem in liberum populum cadere posse nisi in quantum in eandem consenserit; is non facile refragabitur, quin hoc jus præcipuum fuerit libertatis publicæ momentum. Tertium universale populi jus, erat belli pacisque arbitrium. Poterat prout vidimus senatus Romanus legationes mittere, legatosque, Romam accedentes excipere &c. omnia vero quæ præcise eo tendebant, ut bellum vel pax populo alicui decernerentur, ita sub populi arbitrio posita legimus, ut senatus & Magistratum facta hoc in puncto, prout dicit Polybius l. c. *rata vel irrita reddere possent*. Addimus hinc quarto loco judicia populi. Præterquam enim, quod civis Romanus non nisi a toto populo Romano in comitiis præsentis capitis damnari potuit, quod



tempore Tulli exemplum ante allatum Horatii, initio vero imperii consularis *provocatio ad populum* a Publicola instituta, probant. Nullum est dubium, quin omnes Magistratus, imperio deposito, gestorum rationem populo id postulanti reddere obligarentur, ejusque suffragiis vel absolvi vel damnari possent, ut Historia Romana ubique tradit. Et hæc potiora merito censentur populi jura, quæ libertatem ejus constituebant.

### § VI.

Ultimam considerabimus jura Magistratum Romanorum. Primum quod adscribimus Magistratibus Romanis jus, est illud, quod omnes conventus publici seu comitia ab ipsis edicerentur haberenturque. Si vero perpendamus, quod Magistratum creatio, legum latio &c. non nisi in Comitibus peragi possent, & quod omnes populi congregationes absque edicto Magistratum factæ ut Reipublicæ damnosæ punirentur, hoc unicum jus tam dignitatem quam potestatem Magistratum satis declarat. Secundo loco ponimus jus executionis, quo non modo Senatus sed & Populi decreta efficere valuerunt. Quin vero & hoc jus plurimi fuerit, neminem inficiaturum putamus; quum idem totius Reipublicæ administrationem comprehenderit. Præterea, extraordinarium fuit in Republica Romana, quod non modo Reges, sed & alii Magistratus majores tempore belli plurima facere potuerunt, quæ pace in Republica obtinente ipsis non licebant. Sic quæ videbantur necessaria sociis imperabant, duces consti-

tuebant & quoslibet sibi subiectos poterant punire; Nemo tamen existimet Libertatem Reipublicæ Dictatura vigente omnino fuisse sublatam. Hæc enim potestas in hunc modum erat limitata. 1:º Dictator nullo gaudebat jure in pecuniam publicam nisi ex decreto senatus & populi. 2:º Non licuit illi æquum conscendere nisi ad bellum ituro. 3:º Eidem erat prohibitum progredi extra Italiam cum imperio. 4:º Potestas ejus legitime intra semestrem spatium terminabatur. 5:º Imperio deposito ad rationem reddendam vocari potuit. (\*) Quare nemo hæc potestate abusus est ante Syllam, de quo in sequentibus agendi occasio dabitur. Singulos Magistratus recensere eorumque officia explicare nostrum non est. Ad præsens institutum suffecerit dixisse Libertatem publicam satis in tuto locatam fuisse, quum ut antea est allatum, populus Magistratus constituere, eorum officia describere, & rationes administrati muneris ab iisdem exigere posset.

### §. VII.

**L**icet de Magistratibus Romanis jam in genere Legerimus in tramitem historicum reverti, ortum potestatis Tribunitiæ vel eam ob rem seorsum spectabimus, quia hic Magistratus libertatis afferendæ gratia institutus fuit, pluribusque per eum in republica motibus excitatis, tandem in causa exstitit cur Libertas amitteretur. Causam vero hujus creandi Magistratus nimia sceneratorum licentia præbuit. Nam quum, sub initio imprimis impe-

(\*) Nieup. pag. 86.

rii Consularis, perpetuis fere bellis vexaretur civitas; factum est, ut plurimi ad bella exeuntes, quum rebus domesticis curandis occasio deesset, multum æris alieni contraherent. A militia vero domum reversi, quum solvere nequirent a Creditoribus, qui ut plurimum optimates erant, male prorsus habebantur, adeo ut ad servitia abducti verbis & verberibus prorsus intolerandis afficerentur. Cujus insigne exemplum vide apud Livium. (\*) Hoc plebem ita irritavit, ut intestinum facile bellum primo statim initio exortum fuisset, ni Consulum unus puta Servilius præclara oratione populi captasset benevolentiam edictoqve prohibuisset, ne quis civem Romanum clausum vinctumve teneret, quo minus nominis edendi apud Consules fieret potestas; neve quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet, Liberos nepotesve ejus moraretur. (\*\*). Ast quum bello finito, Appius Collega nihilolocius jus quam asperrime de creditis pecuniis diceret, adeo ut, qui ante nexi fuerant creditoribus traderentur, necerenturqve alii; tantum iræ accessit, ut plebs non modo cæcus nocturnos faceret, sed & subsequen- tibus Consulibus delectum habituris nomina dare detrectaret. Et licet Appium, qui acerrimus optimatum erat defensor, eo rem redegisse videamus, ut etiam Dictator, a quo ut antea vidimus nulla provocatio erat, constitueretur; tantum tamen absuit, ut hoc malum sic fuerit sublatum, ut potius, quam primum ille, bello finito, imperium deposuisset, plebs in sacrum se-

(\*) *libr. II. (\*\*)* *l. 6.*



cesserit montem. Patres, quum nullam spem sine concordia civium urbi relictam viderent, eamque per æqua & iniqua reconciliandam putarent; Men. Agrippam ad populum emiserunt, qui oratione sua audientium equidem animos movebat, nihil tamen efficere poterat, donec populo sui Tribuni iidemque sacrosancti, quibus auxilii latio esset adversus Consules, concederentur. Hæc prima est origo Tribunorum plebis, quos ad numerum usque denarium postea excrevisse constat. Ad potestatem quod attinet, vi pactionis hæc nihil aliud complectebatur, quam ut a vi injusta populum in posterum tutarentur. Unde M. Curiolanus, die ipsi a Tribunis dicta. *auxilii non vero patris jus in datum aperte contendit* (\*) Et si intra hocce limites permansisset tribunicia potestas, existimavero eam ad comprimendam vim injustam patrum & Consulum si non prorsus necessariam at tamen libertati populi maxime congruam fuisse. Sed quatenus hi Tribuni sacrosancta sua potestate freti ex perversa ambitione pecculariisque in ordinarios Magistratus odio, nihil non tentaverunt, senatus Magistratumque edicta licet Reipublicæ saluberrima rescindere haut erubuerunt, pro peste reipublica merito habentur, præsertim quum iisdem geminum in rempublicam introductum esse Imperium neminem fugere existimemus.

§. VIII.

**A**Ntequam ad Decemviros progrediamur, pauca de Sp. Cassio præmississe juvabit. Hic fuit primus,

(\*) Liv. lib. 5.



mus, qui Regibus expulsis in eam populi Senatusque suspicionem incidit, quod regium affectaret imperium. Nam quum victis Hernicis duæ agri partes essent ademptæ; unam is plebi, alteram sociis Latinis elargiendam statuit. Collega vero fortiter resistente, ne in communionem legis Latini admitterentur, Cassius plebis commodis insuper velificaturus, pecuniam a Siculo frumento acceptam populo distribui iussit. Atque hic nimius favor totam rem suspectam reddidit; quare populus neque agrum neque pecuniam accipere voluit. Tunc tum ardor publicæ conservandæ libertatis omnium inerat animis. Et licet præter allata, nulla vestigia affectati ab eo regni reperiantur, quamprimum tamen Magistratu abiit eundem populi iudicio perduellionis (perduelles dicebantur, qui hostili in Rempublicam erant animo) damnatum necatumque invenimus. Sed hæc in transcurso, jam ad Decemviros. Hi initio seculi ab urb. cond. quarti introducti sunt. Causa potissimum fuit, ut leges publicas conscriberent, communi populi consensu confirmandas. Hisce autem creatis, omnes alii Magistratus potestate exuebantur, ne ipsis quidem Tribunis exceptis. Imo non modo intercessionem, sed & ipsam provocationem sublatam, deprehendimus. Sed licet tanta potestate muniti essent hi Decemviri, primo tamen anno summa æquitate Rempublicam administrarunt, adeo ut in alterum quoque annum idem imperium prorogare civitati placuerit. Exemplum insigne æquita-

eis eorum vide in Liv. Lib. III. Novis vero prio-  
 rum loco suffectis in discrimen Libertatis amitten-  
 dæ præsentissimum dilapsa est Respublica Romana.  
 Quum enim priores duodecim tantum lictoribus  
 totidemque fascibus ceu insigni quodam publico usi  
 fuissent; hi primo Magistratus sui die impleverunt  
 forum CXX. lictoribus, quorum fascibus illigatæ  
 erant securæ, imperium sine provocatione sic o-  
 ptime dignosci dicentes. Hinc pro arbitrio cun-  
 cta gerere cœperunt, adeo ut ne senatum quidem  
 haberent. Domi ut scribit Livius judicia confla-  
 bant, pronuntiabant in foro. Et si quis ab alter-  
 utro horum injuria affectus, ad collegam ejus  
 provocaret, tale responsum tulit, ut ipsum poeni-  
 teret, quod prioris non stetisset edicto. Quid? quod  
 non modo virgis sed & securibus in plebem tan-  
 dem lævitum fuerit. Ansam primam recuperandæ  
 libertatis dederunt hostes Sabini & Æqui. Quum  
 enim duo urbi instarent bella, Decemviri senatum  
 habere sunt coacti, veriti ne alioquin ubi delectus  
 haberetur, populus nomina dære detrectaret. Senatum  
 tandem coacto ferocissima exstiterunt certamina,  
 Marco Horatis decem Tarquinius Decemviros  
 appellante. Sed, ut rem paucis complectar, licet  
 & Patres odio Tribunorum P. auctores belli sub De-  
 cemvirorum auspiciis gerendi essent, & plebs me-  
 tu imperii sine provocatione nomina exhiberet; cæ-  
 des tamen in L. Siccium, qui mentionem seces-  
 sionis Tribunitiæque potestatis revocandæ fecit, ma-  
 chinantibus hoc decemviris, patrata, & detestabi-

lis Appii Decemviri in Virginiam stupri libido, non modo fugam Romanorum exercituum, sed & tandem secessionem populi in Aventinum sacrumque montem causati sunt. Neque ullæ conditiones accipiebantur, antequam Magistratu abirent Decemviri, & provocatio cum Tribunis restituerentur. Atque tum perversi imperii debitas dederunt pœnas. Appius enim & Oppius in vincula conjecti, omni spe liberationis incisa, mortem sibi consciverunt, & reliqui exilio mulctati sunt, bonaque eorum omnia publicata. Atque sic iterum in tuto ponebatur Libertas Romana.

§. IX.

**P**ost Decemviros eodem hoc Sec. 4:to Sp. Melius Manliusque Capitolinus crimen affectati imperii Regii ambo incurrerunt, ambo ejusdem debitas luerunt pœnas. Contra illum, qui frumento ex Hetruria advecto populura sibi conciliasset cœrusque jam nocturnos ad invadendum imperium haberet, Dictator creatus Quint. Cincinnatus, qui concione advocata Magistro equitum Serv. Halæ imperavit, ut Sp. Melium ad se vocaret. Ast quum edicto parere nollet Melius, quin potius remoto apparitore in mediam turbam trepidans se conjiceret, a Servilio obruncatus est. Quod factum Dictator præclara ad populum oratione defendit, eum jure occisum probans, quum non solum Dictatoris vocem contempsisset, sed Remp. Romanam finitimis imperantem in servitutem redigere pro viribus tentasset, addito insuper man-



dato de bonis ejus omnibus publicandis (\*) Manlio, quum diu perniciosissima consilia agitasset diem dicunt Tribuni plebis. Et quamvis populum Romanum non modo liberalitate sua quam maxime sibi devinxisset, homines quippe prope CCCC prodixisse dicitur, quibus sine favore expensas pecunias tulisset, quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset, (\*\*) sed & ob Capitolium a se contra Gallos Senones servatum Capitolini nomen obtineret; differri tamen non vero tolli ejus judicium potuit. Quam primum enim populus a conspectu Capitolii extra portam flumentanam ad suffragia ferenda missus erat, damnatus est atque mox e Saxo Tarpejo dejectus.

## § X.

**A** Manlio ad Tribunos plebis fratres Tiberium Cajumque Grachos nos convertimus. Varios imo innumeros fere motus a Tribunis Plebis, inde ab initio eorum, in Republica esse excitatos neminem fugere credimus. Hi tamen omnium fuere primi, qui crimine inferendi regni maculati, publicas ejusdem dedere poenas. Causa exitii ambobus Lex fuit agraria, nunquam a Sp. Cassii tempore sine maxima discordia agitata; causae cuique speciales variae. Ad Tiberium igitur quod spectat, illum praecipue perdidit, quod Collegam Octavium, intercessione sua legem impediens, per plebem abrogari fecit. Nam hoc, ut plane insuetum, ipsum populum, cujus gratia factum erat,

(\*) Liv. Lib. IV. p. 243. (\*\*) id. Lib. VI.



rat, ab ipso abalienavit. Huc accessit oratio sacrosanctam potestatem a Tribunis, quam plebis adversarentur commodis, prorsus removens. Addidit hisce robur non modo testimonium Pompeji in senatu dicentis, diadema ac purpuram per Eudemum Pergamenum Tiberio ut Romæ regnāturo delatam, sed & quod ipse, concione convocata (quam Flaccus senator de nece Consulis inter servos & libertos armis instructos agitari diceret, & Tiberius insidias sibi timeret) caput suum tangeret. Hoc enim inimici quasi certissimum indicium desiderati ab eo diadematis interpretabantur. Atque tum magno coorto tumultu in media turba obtruncatur, inque Tiberim mortuus projicitur. Cajus Gracchus a primo statim initio optimatibus fuit invidus. Quamprimum enim Tribunatum obtinuit, in Patres investus vindictam fratris occisi summo studio urgebat. Mox adversus fratris collegam Octavium legem tulit, ut qui Magistratu per populum motus esset, facultatem alterius Magistratus ineundi non haberet. Deinde potentiam Patrum graviter infregit, iudices trecentos ex ordine equestri constituendo. Tandem unam super aliam condendo legem tantum gratiā populi inclaruit, ut C. Fannius sua rogatione Consul fieret. Senatus vero eum inexpugnabilem fore metuens primo per Livium Drusum ejus in tribunatu collegam liberalitate sua Cajum supplantare nisus est, longe plures prerogativas, quam is postulaverat populo cedens. Deinde a-

amicitia ejus cum Fulvio, qui senatui pariter ac populo maxime erat invidus, quod & Scip. Aricanum veneno interemisse, & socios ad defectionem sollicitasse diceretur, eum reddidit suspectum. Hæc vero rem non exhauriunt. Sed quum Cajus non modo Consuli Opimio leges ab ipso latas abrogaturo sese opponeret, sed & opera Fulvii multitudinem armatam in Aventinum montem educeret; ut hostis publicæ libertatis a Consule interemptus est, corpusque ejus in Tiberim conjectum. (\*)

§. XI.

**S**ed antequam colophonem operæ imponimus, restat, ut paucis inspiciamus, quæ ratione etiam honores publicos occupando libertatē suam muierit plebs Romana. Hoc licet successivè factum sit, neminem iniquè interpretaturum credimus, quod appendicis instar hoc ultimo loco adhibeamus. Antè Tribunos creatos nihil vel parum honoris in republica obtinuit plebs. Sed his institutis, honor populi, multiplex fuit variusque, Nam quamprimum Lex de conubio plebejorum cum patriciis initio hujus seculi erat perlata; mox quum Tribuni plebis acerrime instarent æquandæ libertatis causa unum Consulem ex plebe fieri debere, eò rem redactam videmus, ut Tribuni militum cons. potestate partim ex patribus partim de plebe crearentur. Hoc obtento Quæstores ex plebe, Decemviri que sacrorum utroque ex ordine facti

(\*) Conf. Plat. in v. T. & C. Grac. cum Liv. in ep. LVII. & LXI.

Et sunt. Quid? quod ad finem hujus & initium  
 seculi sequentis non modo Consulem, Præto-  
 rem, Censorem, sed & ipsum Dictatorem cum Magi-  
 stro equitum, e gremio suo produxerit Plebs Ro-  
 mana, adeo ut præter solum Interregem vix ullum  
 Magistratum, qui cum plebe non communicatus  
 fuit, facile inveneris. Quumque subsequenti tem-  
 pore ad Sullam usque libertatem Romanam talo  
 suo stetisse inconcussam deprehendamus, temporis  
 facultatumque angustiis pressi heic vela  
 contrahimus.

S. D. G.



Printed and Sold by S. D. G. at the ...  
 in the Year 1784



**W**o Freyheit, Eyd und Grund-Befehle,  
Drey Perlen von weit höherm schein  
Im Reich, als Gold und Silber, Ehre

Die Cræsus hat gesamlet ein,  
Werd'n nachgelebt so spät als frühe:

So heißt es glücklich ohne mühe.

Da wird die Oberkeit gellebet;

Da freuet sich der Unterthan;

Da wird Gerechtfertigkeit gelobet;

Es grünt und blüht ein jeder man;

In summa: da kan man gut leben,

Und alles im Wohlstande schweben.

Hingegen, wo der neid sich findet,

Wo Geiß, Zwietracht, untreu und zand,

Sich mit einander fast verbindet,

Da ist der Reiches-körper krank,

Und werden Eyde falsch geschworen,

So ist die Freyheit bald verlohren.

Dies lehret uns Dein disputiren,

Mein Bruder, da Du jetzt der Welt

Wilt treulich zu gemilhten führen

Das Band, so Reich, zusammen hält;

Drum kanst Du auch versichert leben,

Apollo wird den Lohn Dir geben,

Den Du verdient mit saurem Schweisse,

Mit Deiner Keckheit und Treu;

Indessen wünsch-e nun mit fleisse,

Dein Glück sey alle morgen neu;

Der Höchste segne Dein bemühen,

Bis daß Er Dich wird zu sich ziehen!

Dem Wohlgelehrten Herren Respondeneen,  
als Seinem wehrtesten Väter, schreibe die-  
ses zu Ehren

**SVANTE RINGH.**